

III). Saepe etiam occurrunt in Codicibus antiquis mss. sive graeci textus, sive versionum vel *tituli* singulis libris praefixi, vel *prologi*, seu breves praefationes, ubi de scopo Hagiographorum fit sermo iuxta receptam in praecipuis Ecclesiis traditionem, et sententiam.

Quod pertinet ad applicationem huius criterii hoc unum monendum existimamus, in singularibus locis exponendis non esse urgendum finem *generalem* totius libri, nisi tantum negative. Saepe enim fit ut in specialibus locis generalis ille scopus nullum induxerit, sed tantum peculiaris scopus ad quem locus ille tendit. Qui aliter faciunt saepe argumenta proferunt, quae vim nullam habent, et fundamento destituta sunt, quod facile esset confirmare exemplis nonnullis ex Theologiae tractatoribus desumptis.

ARTICULUS V.

DE OCCASIONE SERMONIS (1).

Occasio sermonis dicitur quaelibet externa circumstantia, quae auctorem movet ad aliquid scribendum vel dicendum. Valde affine est hoc criterium scopo loquentis, ita ut in concreto saepe vix possint distingui. Illud enim quod auctorem movet ad aliquid dicendum plerumque est etiam finis propter quem illud dicit. Per se tamen haec duo distingui possunt, praesertim cum agitur de iis quae incidenter a loquente, vel scribente pro data occasione proferuntur, nec proprie pertinent ad scopum quo tendit sermo vel scriptum.

Usus occasionis loquendi plus minus idem est, quem notavimus in scopo loquentis.

Itaque cognita occasione, qua sacri Scriptores aliquid protulerunt, ea quae aliunde obscura vel ambigua essent mirifice declarantur, significatio dictionum vel augetur vel imminuitur, sensus proprius a metaphoricis distinguitur, denique ratio reddi potest

(1) Hoc et sequens criterium possent aliquo modo ad *historiam* referri, cum aliquid exhibeant extrinsecum sacris Auctoribus eorumque libris. Verum opportunius indicavimus eis locum dare inter logica criteria, quia directae et proximae influunt in mentem auctoris, vel loquentis, et aliunde haec plerumque ex ipsa lectione S. Scripturae innotescent, quin ad *historiam* vel ad *Archaeologiam* recurrendum sit. Criteria vero historica vocabimus ea quae magis proprie ad externas circumstantias auctoris et sermonis pertinent, et ex historia antiqua innotescent.

illorum quae sine causa dicta videri possent. En aliquot exempla. Io. VI, 54 et 56 legitur Christum dixisse: « Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis... caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Contendunt haeretici sacramentarii verba haec metaphorice accipienda esse de interna fide in Christum habenda. Verum, coeteris omissis, si *ocasio* inspicatur quae Christum movit ad ea proferenda, haec interpretatio absurda apparet: ut enim legitur vers. 53 Iudaei cum Christum audissent promittentem se ipsum suamque carnem in cibum: « litigabant... ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » Occasione autem huius murmurationis seu difficultatis credendi auditorum Christum protulit verba superius recitata. Ergo non possunt metaphorice intelligi, sed *emphasim* continent, ut omnino verum esse affirmetur quod illi credere recusabant. Matth. X, 5 ait Christus Apostolis paulo ante a se electis: « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel: » quae prima fronte videntur contradicere aliis testimoniis, ubi Christus Apostolos mittit ad omnes gentes ex. gr. Mar. XVI, 13: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. » Verum cessat difficultas si attendatur *ocasio* illius prioris praecepti: illud enim Apostolis datum est occasione qua Christus incipiebat per Apostolos praedicare suum Evangelium; in illo autem exordio prudentia requirebat ne discipuli ad Samaritanos et Gentiles diverterent, quos Iudaei contemptui habebant, ideoque scandalum suscipissent si vidissent hebraeos doctores illis gentibus praedicantes: postquam vero praedicatio Iudaeis facta esset et Christus ipse morte sua illam confirmasset, tunc opportunum erat aliis gentibus annunciare Christi fidem, et huc pertinet illud alterum praeceptum post resurrectionem a Christo datum. Aliquando etiam negative hoc criterium invariante interpretem. Scilicet cum quaedam a Christo Domino vel ab Apostolis legitimus prolata, quae absque ulla speciali occasione dicta sunt, sed sponte, et proprio, ut dicitur, motu, dicimus haec accipienda esse absolute, et, coeteris paribus, iuxta totam verborum significationem, non autem improprie aut relative, multo autem minus per quamdam accommodationem factam praeci-

diciis aut infirmitati auditorum. Hoc autem valet contra Semlerum aliosque auctores et defensores systematis quod dicitur accommodationis dogmaticae, de quo alias.

Ratio qua nobis innotescit occasio loquendi multiplex est quemadmodum diximus de scopo loquentis. Imprimis enim ipse sacer textus saepissime occasionem memorat ob quam aliquid dictum vel scriptum est, ut fit ex. gr. in loco Iohannis mox citato, item in principio Evangelii Lucae, et Luc. XIV, 15 seqq. Mar. X, 2 et 10 ubi duae Pharisaeorum et discipulorum interrogationes circa matrimonium Christo propositae distinguuntur, quae distinctio clariorem reddit Christi sermonem quam apud Matthaem XIX, 3 seqq. ubi duae quaestiones non separantur. Ita etiam 1 Cor. VII, 1, VIII, 1, et alibi. Saepe etiam occasio sermonis colligitur ex attenta consideratione totius sermonis, et adiutorum, quae sive explicite sive implicite in ipsis Scripturis narrantur de persona loquente, vel de sacro Scriptore: quibus non raro lucem affundunt testimonia veterum Ecclesiasticorum Auctorum, qui testati sunt de occasione qua nonnulli sacri Scriptores ad suos libros vel epistolas edendas inducti fuerunt.

Cavendum tamen est ne plus concedatur huic criterio quam opus est, ne scilicet velimus ex occasione sermonis aliquid explicare ad quod illa non extenditur. Qua in re maturo ac sobrio iudicio opus est, nec ulla specialis regula tradi potest.

ARTICULUS VI.

PECULIARIS COGITANDI ET LOQUENDI RATIO AUCTORIS

Quae hucusque dicta sunt pertinent ad communes, et ordinarias cogitandi leges, ad quas homines suum sermonem exigere solent. Verum omnitendum non est individualement uniuscuiusque auctoris vel personae loquentis characterem, aut conditionem aliquando efficere ut a communibus illis legibus paulisper deflectat. Quare hoc etiam prae oculis habendum est interpreti, cuius munus est mentem auctoris perfecte intelligere, eiusque sensum veluti induere. Sunt igitur sub hoc respectu praecipue tria attendenda in quibusdam libris aut locis Scripturae interpretandis.

1° Auctoris, vel loquentis individualis character sive indoles. Hinc generalis regula est: *verba et sententiae loquentis non sunt eo modo intelligenda, qui eius indoli et characteri repugnet.*

Ita ex. gr. miraculum patratum in nuptiis Canae Io. II male prorsus et inepte a Paulusio explicatur quasi nihil aliud fuerit quam iocus nuptialis ad sponso inexpectata vini oblatione exhilarandos: hoc enim nullatenus convenit Christi Domini gravitati ac dignitati, qui illa omnia solemniter et omnino serio perfecisse credendus est, etiam seposita Iohannis attestatione, qui conversionem illam aquae in vinum *primum signorum*, idest miraculorum, Christi appellat. Ita etiam quae habentur Math. XVI, ubi Christus ait: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam » non possunt explicari quemadmodum a Luthero explicata sunt, quasi nempe pronomen *hanc*, et vox *petra* Christum ipsum designarent, qui haec proferens digito se ipsum indicasset: hoc enim modo intellectus Christi sermo cum tanta solemnitate prolatus, et cum magifico illo exordio: « Beatus es Simon Bar-Iona... et ego dico tibi, quia tu es Petrus etc. » iste, inquam, sermo illusorius prorsus et ridiculus fuisset, quod Christi Domini characteri repugnat. Ita etiam iniuria prorsus Semlerus eiusque asseclae nonnulla effata dogmatica Christi Domini, et Pauli Apostoli ita exponunt ac si prolata fuissent non ex animo, sed ad morem gerendum Iudaeis eorumque praediciis, seu per *accommodationem*, uti vocant, *dogmaticam*. Huiusmodi enim accommodatio maxime repugnaret Christi et Apostolorum characteri, sive privato, quem scimus candidum fuisse et veritatis unice amicum, sive publico divinatorum legatorum et doctorum universalium, quorum officium erat errores et praedicia moralia ac religiosa non confirmare, sed corrigere et extirpare.

2° Praeterea spectanda est actualis conditio eius qui loquitur, idest, num forte speciali aliquo et vehementi affectu in dicendo moveatur.

Siquidem manifestum est verba uniuscuiusque iuxta affectum dicentis eiusque animi statum dimetienda esse, ita ut modo augendus, modo autem mitigandus sit eorum obivus sensus. Ita ex. gr. vehementissimae illae loquendi formae quibus Iob maledicit et imprecatur diei nativitatibus suae (Iob. III, 3, seqq.) aestimandae sunt

iuxta praesentem eiusdem Iobi statum qui omnibus rebus spoliatus, acerbissimis doloribus afflictus, ab ipsa uxore derelictus et irrisus, ab amicis quoque vexatus magis quam consolatione recreatus in ea verba erumpit, quae ex praedicta animi conditione, coniuncta cum indole et emphatica loquendi ratione Orientalium propria, benigne explicanda sunt, salva nempe illius sancti viri patientia, et animi resignatione. Idem aliquando dicendum est de imprecationibus, vehementibusque querelis quae in Psalmis Davidis occurrunt, ut alias vidimus. Ita etiam phrasis illa frequens in Scripturis: *quid mihi et tibi?* vel alia similis expressio diversam vim et extensionem habere dicenda est pro vario affectu loquentis. Accipiamus ex. gr. haec tria loca ubi eadem recurrit: 2 Reg. XVI, 40 David ait ad Abisai qui volebat Semei regi maledicentem occidere: « *quid mihi et vobis est filii Sarviae? dimitte eum ut maledicat;* » in 3 Reg. XII, 16 populus, audito Roboami responsio, ait: « *quae nobis pars in David? vel quae haereditas in filio Isai?* » demum ipse Dominus in nuptiis Canae matrem suam rogantem ut aquam in vinum converteret iisdem verbis alloquutus est Io. II, 4: « *Quid mihi et tibi est, mulier?* » Attamen quis dixerit eundem prorsus esse sensum huius formulae, eodemque modo eam esse urgendam in citatis locis? In primo enim loco verba sunt absolute recusantis et implicite redarguentis, in altero sunt verba irati populi et a Rege omnino descendentis, in tertio vero sunt Christi filialis erga matrem amoris ac pietatis nequaquam immemoris, nec absolute contradicentis, quemadmodum et subsequens eventus ostendit. In orali sermone haec discrimina facile percipiuntur ex ipso tono vocis, aspectu, gesticulatione; in sermone vero scripto, ubi haec admodum desunt, aliunde res iudicanda est, sed ea adiuncta loquentis supponi et praesumi possunt (quamvis non temere) ad loquentium quarundam rationem reddendam. Ita in citatis verbis Io. II, 4 facile est sibi repraesentare Christum modesto et benigno vultu ac voce ea proferentem, atque ita apparens illa asperitas responsionis evanesceat.

3^o Attendendae sunt etiam peculiare si forte adsint loquenti formae singulis Auctoribus propriae.

Qua in re notandum est loquenti usum non ita fixum et determinatum esse ut nullum relinquat locum peculiaribus dicendi

modis, quibus una vel altera de causa aliquis auctor assuescere potest, et iis familiariter uti. Quod etiam a sacris Scriptoribus fieri potuit et factum est. Quamvis autem de his aliqua dicta sint in expositione regularum philologicarum, praestabit tamen hic nonnulla adnotare, quatenus huiusmodi peculiare loquutiones indicant peculiarem quoque cogitandi modum quorundam Auctorum, ideoque hic ad complementum regularum logicarum animadverti debent. Unde regula generalis est: *Verborum et phrasium significatio ex communi loquendi usu perspecta accipienda est cum respectu et accommodata ad peculiarem, si adsit, cogitandi et loquendi modum uniuscuiusque Auctoris.*

Praeter ea quae superius dicta sunt, ubi de usu loquenti agebatur, nonnulla in specie hic notanda occurrunt. In Prophetis cogitandi et loquenti modus omnino peculiaris est: rerum enim ordinem raro observant, res futuras tamquam praesentes aut praeteritas sistunt, eventus longo temporis intervallo divisos ita coniungunt, ac si ad eandem epocham pertinerent, transitum ab uno ad aliud subiectum vix unquam expriment, personam loquentem seu regentem sermonem frequenter et abrupte immutant, non monitis lectoribus, denique imaginibus, et figuris formisque dicendi vehementioribus et insolentioribus passim utuntur. Haec omnia interpreti consideranda sunt in Prophetis legendis, si velit eorum mentem rite exponere: frustra enim laboraret si vaticinia conaretur ad consuetas leges usus loquenti, contextus aliasque similes adamussim exigere, quae in Prophetis paullisper immutatae sunt, et quodammodo subordinatae praedictae peculiari cogitandi rationi.

In Libris et partibus poeticis, praeter ea quae ad figurarum indolem pertinent, in quibus, uti pronum est intelligere, pöesis etiam Hebraeorum a prosa oratione discrepat, speciatim notandum est parallelismus poeticus, quem vocant, qui potissimum in Libris rhythice scriptis, quales sunt liber Iobi maxima ex parte, Psalmi, Proverbia, Canticum etc. locum habet frequentissime. Est autem parallelismus poeticus *ea loquendi ratio, qua duo vel plures versus unum eundemque conceptum exprimentes ita connectuntur, ut verba verbis, sententiae sententiis symmetrice respondeant.* Potest autem dividi in *syntheticum*, et *antitheticum*. Ille habetur cum in secundo hemistichio eadem res, vel analogae verbis paullisper di-

versis repetitur; ita ex. gr. Ps. II, 4: « Qui habitat in coelis iridebit eos, et Dominus subsannabit eos: » Prov. II, 21 et 22: « Qui enim recti sunt habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea. Impii vero de terra perdentur: et qui inique agunt, auferentur ex ea, » et ita aliis sexcentis locis. Alter autem, seu *antitheticus*, tunc habetur cum alterum membrum rem contrariam sistit, ita ut ex eius oppositione alterum illustretur. Uti ex. gr. Prov. XII, 1: « Qui diligit disciplinam diligit scientiam: qui autem odit increpationes insipiens est, » et vers. 3: « Non roborabitur homo ex impietate: et radix iustorum non commovebitur » et vers. 6: « Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos » et ita in reliquo capite, et in tribus sequentibus per totum. In quibusdam locis coordinatio vel oppositio paulo complexior est, ita ut non bina, et bina procedant, sed vel terna, ut Os. VI, 1 et 2, vel quaterna, ita ut primum membrum tertio, et secundum quarto respondeant, ut ex. gr. Ps. XXXII, 3, de quibus plura disputant Rob. Lowth: *De poesi hebraeorum sacra* §. 31, et Iahn vel Ackermann Archaeolog. Biblic. §. 91; qui praeterea parallelismum *synonymum* distinguunt ab aliis duobus, sed hic iuxta notionem superius explicatam ad syntheticum revocari potest. Ex his vero facile intelligitur parallelismum poeticum interpreti attente considerandam esse, et ex eo emolumentum derivari posse pro Scripturae intelligentia. Cum enim partes sermonis ita artificiose collocatae sint ut altera alteri respondeat, manifestum est eas invicem sibi lucem affundere, et si una obscura est ex altera illustrari posse; ita ex. gr. Ps. LXXV, ubi Vulgata legit: « Et factus est in pace locus eius: et habitatio eius in Sion » alterum hemistichium indicare videtur in primo hemistichio pro pace legendum esse *Salem* (seu Ierusalem) quae vox simul in hebraea lingua pacem significat: quod etiam praecedentia et antecedentia confirmant. Ita etiam in cantico Zachariae Luc. I, 79 quid sint *tenebrae* et *umbra mortis* illustratur ex antithesi cum *via pacis*, idest, prospera et tranquilla vitae ratione. Ex parallelismo etiam colligitur quid in sermone poetico, saepe conciso et elliptico, supplendum sit. Ita ex. gr. Prov. X, 14: « Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est. » Ex altero membro intelligitur prioris sensus, et quid in utroque subintellectum sit: idest sapientes prudenter ta-

cent de multis, quae sciunt, et ideo nihil adversi patiuntur: stulti vero ea quae sciunt temere blaterantes ignominiam et damna sibi comparant. Ita quoque Cap. XII, 13 legitur: « Propter peccata laborum ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia; » subintellige propter vigilantiam, qua labia sua custodit.

In libris N. T. quaedam peculiaria et propria occurrunt in Iohannis et Pauli scriptis, ut alias animadvertimus. Ita voces *λογος*, *Testimonium*, *Antichristus* peculiarem habent usum in Evangelio, Epistolis, et Apocalypsi Iohannis: et voces *Lex*, *peccatum*, *fides*, *homo carnalis* et alia nonnulla peculiarem habent sensum in epistolis Pauli Apostoli. Peculiaris quoque est Evangelii usus parabolarum, et sensus parabolicus, de quo aliqua superius notata sunt.

Haec omnia igitur prae oculis sunt habenda, ne quis communes notiones aut consuetas regulas applicet iis locis, ubi constat Hagiographum seu cogitando, seu loquendo ab illis plus minus recessisse. In his tamen omnibus maturo iudicio, et exquisita prudentia opus est, ne forte consuetos verborum sensus ab interprete relinquatur, temere et absque solido fundamento, vel etiam, quod gravius esset, ob praeiudicatam aliquam opinionem, peculiare cogitandi modos et loquutiones supponendo aut fingendo ubi revera non adsunt.

CAPUT III.

DE CRITERIIS ET REGULIS HISTORICIS BIBLICAE INTERPRETATIONIS

Praeter loquendi usum, et internam cogitationum indolem et connexionem, etiam *externae* circumstantiae loci, temporis, rerum ac personarum in sermonem influunt, eiusque sensum saepe determinant: unusquisque enim verba sua accommodat circumstantiis, in quibus loquitur vel scribit. Quare interpres has quoque investiget necesse est si vult mentem sacrorum Scriptorum perfecte intelligere et assequi. Apte rem explicat cl. Ranolder: « Ut paucis, inquit, omnia complectar: lector et interpres, ut ultra corticem penetrare valeat in mentem auctoris, historica adiuncta, omnemque indolem auctoris, et auditorum, primorumve lectorum, quoad eius fieri potest, sibi familiarem reddere, atque tum se totum in locum, aetatem, conditionem et circumstantias auctoris cogitando